



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus XIV. De magnis duobus peccatis, quæ in prædictâ Filiorum
Educatione committuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

DISCURSUS XIV.

De magnis duobus peccatis, qua in predicta Filiorum Educatione committuntur.

I. **S** quando antiqua Roma tempore contingebat, ut Canis ipsos, quos genuerat, catulos devoraret, totam urbem rumor commovebat, adeo, ut eum gravissimo portento attonita, illico publica Sacrificia edicto Senatûs imperaret, quibus Deorum iram ac indignationem placaret. Quod si etiam inter Christianos fieret, quotiescunque Pater aut Mater naturalem in filios amorem exuti non tam vitam illorum temporalem, quam æternam animæ ad exitium & mortem sempiternam impellant, non major malo luctus ac metus foret. Quis sine intimo animi sensu ferat, quod, cum huiusmodi casus tantum non sint quotidiani, nemo ferè turbetur, nemo plangat, imò nemo mutiat ad eos, vel impediendos, aut saltem reprehendendos satis animosus? me quod attinet, tam damnosum non ero reus silentii; plus quam unquam, ac altius clamabo, ingentesque illos errores, quos identidem committitis in filiorum vestrorum Educatione, ac illorum Parricidæ constitutimini, magnis vocibus dete-

gam ac increpabo. Hoc Discursu de duobus tantum peccatis sermo mihi erit; quæ tamen multa alia complectuntur. Alterum committitis, dum filios vestros non docetis bona: alterum, dum docetis mala: quibus fit, ut utraque ratione eorum mortem (culpa primum, dein etiam pœnæ) procuretis, occasionemque eis subministratis, quâ coram Dei tribunali verbis S. Bernardi in vos, queribundi iuehantur, *non parentes sed perem- tores vos appellando,*

Epist. 3.

I.

II. Querunt Doctores sacri, quæ ratio fuerit, ob quam Deus non simul eodem tempore omnes homines creârit, isque Mundum replevit, cum id non minus facere potuisset, ac eum Paradisi celestis Incolas Angelos simul omnes creavit; sed à primo illo creati Mundi exordio voluerit esse Patres ac Matres, totumque genus humanum à Viro uno & una Fæmina principium suum nancisceretur. Variæ sunt opiniones ac responsa, quæ in medium afferuntur, si mihi quoque dicendi locus foret, dicerem, Deum gemino ex capite hoc fecisse, scilicet, ut partim Filius, partim etiam Parentibus consuleret.

Aa 2

His.

His quidem ingens bonum conferebatur, quod à Deo assumerentur ceu instrumenta, quæ & in ordine Gratiæ, & in ordine naturæ quàm plurimos juvarent. In ordine naturæ quidem, dum illis vitam temporalem generando communicant; Gratiæ verò; dum ad eorum salutem educando cooperantur. Ex altera parte ingens Filiis beneficium exhibebatur, dum ratione ac modo omnium suavissimo à Magistro visibili salutis monita, & rectam ad finem ultimum semitam erant docendi: ad eum ferè modum, quo rivulus quandoque in longum extenditur, ut aqua & lentius decurrat, & florida prata ac plantas frugum feraces suavius alluat. Quæ etiam fuit ratio, cur Deus Matrimonium ad Sacramentum dignitatem eveheret; quia si Matrimonia Providentiâ quadam tantum naturali fuissent constituta ac directâ, credere ac persuadere sibi potuissent Christiani, Deum ab iis aliud nihil exigere, quàm ut familias suas propagarent; at verò ubi Sacramento adeò nobili maritum ac uxorem consecravit; manifestè intelligitur, utrique incumbere ut soboli, quæ ex ipsis nascitura erat, bonum Gratiæ & Gloriæ procuraret. Videtis altissimos Dei nostri fines & intentiones, sed videtis etiam, à quàm multis ex Parentibus Christianis negligantur ac contemnantur, qui dedisse vitam temporalem contenti, quasi omnem generando operam complessent, sollicitudine prorsus nullâ tanguntur,

ut etiam bene vivere, quos generant erudiant. Eâdem igitur operâ, quæ obligationem vestram, quæ filios vestros bene instituere tenemini, vobis ob oculos pono, demonstrabo peccatum erratum, quod committitis dum officium illud vestrum facere prætermittitis.

III, Duplicis generis cognitiones sunt, quibus Patres Filios suos instituere obligantur. Primi generis sunt, quibus ea sciant, quæ Christianis scitu sunt necessaria. Alteri generis, quibus intelligant, quod Christianum facere oporteat. Quod ad primum atinet, ipse Spiritus Sanctus sæpenumero filiis inculcat, attentè Patris Matrisque institutionem percipiant, ac animo retineant: *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem Matris tue*; Quam admonitionem illi sæpe verbis sapius repetit. Argumento id est; quod contentos esse non velit, ut unam alteramque precatiunculam mutilam & deperoratam iis præeat, & omnè postmodum illorum curam abijciatis. Quod enim juvat, Sympolam Apostolorum memoriâ tenere, & non intelligere, quid eo contineatur? Hæc ratio educandi similis foret illi splendidi panem filis solummodo ostentaretis, ut videre possent, aut ad summum ejusdem odore perfrui. Tribus primis annorum millibus Mundi, Mosaicum non erant; si quidem primum, quod librum scripsit, verisimile est fuisse Moysen. Triginta his primis saculis.

lis, ait S. Ioannes Chrysoſtomus, libri non erant alii, quàm Parentum Linguae, per quas poſteris ad ſalutem ſcitu neceſſaria communicabantur. Quis igitur fieri pouiſſet, ut filii ac familie credenda nõſſent, ſi eorum Patres ac Matres, eadem quã noſtri ratione egiſſent? hoc eſt, ſi contenti fuiſſent, certa aliqua verba, quæ nec qui docent, nec qui docentur, intelligant, præire? Aliud longè requiritur, quo veſtræ obligationi faciatis factis. Oportet Myſteria Fidei præcipua iis explanare, & illud in primis, quo credere debent Sacroſanctæ Triunitatis, ac Dominicæ Incarnationis grandia Myſteria, ſine quorum clarã notiã longè veriſſimum eſt, nemini ſalutem obtingere. Pejus adhuc eſt, quòd nonnulli ne hoc quidem faciant, ut modicum illud, de quo dicebamus, filios ſuos doceant; ſed totam harum rerum curam uxoribus relinquunt, haud aliter ac illa bruta animæ, quæ peracta generatione omnem morem oblii, totum educandi laborem matribus tranſmittunt.

VI. Reſpondebitis, docere vos ea filios veſtros, quæ ipſi ſcitis, ultra autem, quàm ſciatis ipſi, docere vos nihil poſſe. Verùm hoc ipſum eſt, quòd mihi vehementer doleret, tantam ſcilicet in Mundo ignorantiam dominari. Quàm parũ plebs Chriſtiana de Chriſto, quàm parũ de Deo ſcit? Nomen ſcit, quòd in omni dein re leviſſima invocet, quibusvis in occaſionibus jurando contemneret, ac exc-

crandis in omni pene ſiniſtro eventu blaſphemis conculcet. Fidei ſanctæ Myſteria aut non apprehenduntur, aut ſi apprehenduntur, ita confuſè percipiuntur, ut mille non leuibus erroribus permiſceantur. Fermè ſicut res, quæ remota nimium ſunt, licet in ſphæram globentur ac rotundæ ſint, planè apparent, ita plerique interminatam illam bonorum maiorumque futurorum ſphæram non aliter apprehendunt, ac ſuperficiem quandam bonorum ac malorum parùm aut conducentium aut officientium, adeò eorundem conſideratio iis nihili aut vilis eſt. Et in hac magna rerum ignorantia quid boni fieri poterit? non tantum non Chriſtiani, ſed ne hominis quidem vita ſic vivitur. *Vbi nõ eſt ſcitiã anima, non eſt bonum.* Hoc igitur inter omnia Chriſtiana. 10. 2. norũ mala maximè me affligit, nec ejuſ recordor unquam, quin me acerbiffime cruciet. Verùm non abripiamur inutilibus queſtibus, ne fortè à via nobis propoſita aberremus. Ad id, quòd prætexebatis, porrò reſpondeo; quòd, ſi vos ipſi plurium ſcientiam nõ habeatis, nihilominus tamen adhuc obligemini filios veſtros aliis inſtruos committere, niſi ipſi etiam vobis incumbat neceſſitas ad Chriſtiana doctrinæ inſtitutionem accedendi. Mater, que tantum non habet lactis, quo prolem ſuam alat, ſine Numinis offenſã non poteſt eam propterea morti addicere; ac prætere: Natura non inſtruxit ubera mea copioſiùs; in hunc enim finem Nu-

trices sunt, ut defectum suppleant Matrum. Jam verò in casu nostro Nutricum vice Sacerdotes funguntur, qui hac vita Christiana necessarium suppeditent. Quare igitur filios vestros non mittitis, ut ipsimet ad Ecclesiam instruendos non adducitis? an ab ipsis vos feris vinci patiemini, eosque truculenti, ut proles vestras fame interire sinatis? Refert Plinius de Panthera, quòd cum vidisset catulos suos in altam fossam precipites actos, & jamjam fame emori, tanto dolore fuerit agitata, ut in viam publicam, relicta sylvâ, prodiret, & coram primùm obvio Viatore tanti doloris indices gestus ederet, ut eum omnino commoveret ad se sequendum, qui postmodum ad fossam delatus, scelus mortuis quàm vivis jam similiores, extraheret, ac Matri restitueret. Oportebit itaque Patres Matrèsque ad tam novam scholam amandare, in qua filiorum suorum animabus compati discant, ac subvenire, ne fame absque ullo remedio enecentur. *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Scitis, quis antiqua in Ecclesia, antequam quis Sacro Baptismate tingeretur, mos fuerit? Inter Catechumenos per menses, quin & annos accensebatur; tamdiu scilicet, quamdiu necessarium erat ad ediscenda Fidei Mysteria, qua credere eum oportebat. Postmodum verò temporis lapsu, cum quidam sine Baptismo decederent, Ecclesia Benignè indulset, ut infantes sacrâ undâ ablueren-

l. l. c. 17.

Thron. 4.

4.

4.

res Sacris interdicere, qui filios suos ad Catecheticas instructiones non mittunt. Si Doctrinam hanc meam ceu novam obstupescitis, signum est, vos necdum intelligere, quantum ex ignorantia Cacodæmoni lucrum accedat, & quàm copiosè in aqua hac turbida piscetur, ubi retia illius fraudulenter delitescunt.

V. Rem miram audite, ad propositum nostrum apprimè facientem. Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo octavo celebrabatur in Gallia nescio quæ Synodus, jamque Sacerdos quispiam designatus erat, qui publicum Sermonem juxta morem haberet. Sacerdos autem hoc in munere parùm exercitatus non poterat ne istud quidem seculum statuere; quodnam potissimum argumentum tractandum susciperet; quare multùm perturbatus, magnam temporis partem dolendo exigebat, quòd hanc in se provinciam suscepisset. Interea Damon truci aspectu leei sedit, superbè interrogat doloris ac perturbationis causam, & intellectà, ait: bono animo esto, argumentum enim ego tibi suppeditabo, de quo ad Synodum dicas. Sic igitur loquere: Rectores tenebrarum Infernalium, Rectoribus Ecclesiarum Parochialium salutem dicunt, & plurimas agunt gratias ob magnà in docendis populis socordiam & negligentiam; ex ignorantia siquidem nascitur peccatum, ex peccato damnatio. Et subjunxit: Damon ego sum, coactus à Deo hæc tibi dicere, Cui

Sacerdos: Non credent mihi, & somnia me narrare dicent. Et demon: ut fidem tibi habeant, ecce signum: & illico nigris suis manibus faciem eius tetigit, quæ ad Diaboli attractum ita fuit denigrata, ut atro carbone nigrior videretur. Lava te, prosequeretur Damon, quantum volueris, omnis in casum labor ibit; & quoad istud meum thema ad concionem dixeris, colorem pristinum non recipies. Ubi verò hoc munere perfunctus fueris, & publico in templo aquà lustrali te laveris, in omnium præsentia candorem vultus tui postliminio recuperabis. Nec aliter, quàm Cacodæmon prædixerat gesta sunt omnia, tanto cum Sacerdotum stupore, ut nemo Prædicatorum qualicumque suo clamore majorem motum concitasset. Imò dicunt, solam facti huius relationem Parisiis vulgatam immànè horrore omnes etiam Laicos replevisse. In veritate dico, quòd nostro hoc tempore præstaret, legationem istam ad Patresfamilias institui; quia quantumunque Sacerdotes omnem operam adhibeant instruendo, Patres reciprocam diligentiam non exurunt, quâ filios suos ad istam Sacerdotum doctrinam compellant. Unde præ aliis Patres hanc à Damone gratiarum actionem promerentur, utpote qui, dum ignorantiam hanc fovent, præ omnibus filiorum suorum exitium sempiternum promovent. Et postmodum putatis, posse vos levissima hac excolatione Ecclesie Dei lachrymas

mas

mas extergere, quas hac ex intimo pectore evocat, cum videt, ipsos etiam Haereticos, quod filios suos pestifera sua doctrina à tenetis inficiant, majore studio contendere quam Catholici, ut suos imbuant sanà; Ordinaria hac vestra exculatio est, incumbere vobis necessitatem, pecora vestra pascendi. Verum quam justam Propheta causam habet, bilan-tem nostram injustitiam arguendi, cum in illa majus pondus pinguis quadam vacca, quam Rationalis Anima habeat! S. Joannes Chrysostomus quietis partem capere nullam potest, tantam videns iniquitatem, quam Patres majorem jumentorum suorum quam filiorum rationem habent.

Hom. 60. Majorum asinorum, in Math. & equorum quam filiorum curam habemus. Non sola posthac Herodis domus erit, de qua cum veritate di-

Macrob. ci possit, id quod Imperator Augustus fertur pronuntiavisse; quod in ca cuivis melius foret porcum, quam hominem nasci. Etiam in Christianorum domibus id ipsum dici poterit, cum in iis major sordidissimi porci cura habeatur, quam innocentis & Angelicæ Animulæ. Quid dubitatis igitur, quin hujusmodi exculatio-

num vela non magis apta sint ad vos coram Deo obtegendos, quam tenuissimæ aranearum tela? Si filios vestros omnes ad Christianam Doctrinam dimittere non potestis, mutatis vicibus modò unum, modò alterum mittite. Quid inde? si interrim pecora vestra rejiciant, dum fi-

lii vestri ad facta se pascua conficiant? quin etiam, dum puerorum, qui vobis servant, memoria animarum meum subis, non possum non admonere vos, quòd, dum Heri ac Patrum in illos munus exercetis, officium quoque parentum in bona eorum educatione explere debeatis. Ad summam, modum aliquem excogitate, ut cum honore coram Dei tribunali stare possitis; secus enim, quanta erit ignominia vestra?

VI. Altera institutio quam filii vestris debetis juxta Dei intentionem, quam vos Patres constituit, ultra quod est orthodoxè credere, in te consistit, ut & bene facere eos doceatis. Hanc ob causam magnopere laudamus in Sacri Paginis Sanctus Tobias, qui filium suum à tenetis timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Oportet igitur maturè illorum animis veri Christiani pectoris Maxima & Principia imprimere; summam scilicet existimationem de Dei Majestate singularem amorem Jesu Christi Redemptoris nostri, teneram devotionem erga Sanctissimam ejus Matrem, insignem reverentiam in res Sacros, Sacramenta, Sacerdotes, Tempia, & Missæ Sacrificium, ad quod aut cultandum accedunt. Nolle deberent, quòd omnia illa, quæ aut prosperè, aut infelicitè eveniunt, à manu Dei proficiantur; propter quod etiam sine murmuratione illa accipere conveniat. Scire etiam, quòd omne bonum, quod facimus,

non à nobis fiat ceu à nobis, sed auxilio Dei adjutus, sine cuius Gratiâ ne minimæ quidem tentationi, quâ infestamur, resistere possimus. Scite, quòd peccatum omnium malorum maximum sit, unde etiam plus quàm ipsam mortem illud fugere debeamus. Hæc & alia similia præcipua sunt principia, juxta quæ Christiani cujus vis vita institui debet ac dirigi: quare pueris & adolescentibus identidem instillanda ac inculcanda sunt, ut nunquam eorum animis elabantur. Neque velim, mihi objiciatis; hanc vos curam Sacerdotibus relinquere ac Prædicatoribus. Vehementer fallimini. Omnes simul Sacerdotes ac Verbi Dei Præcones non possunt tantum in filiis vestris efficere, quantum unus Pater, si instructionem suam maturè auspicietur, & postmodum sine cessatione continet. Non sine causâ Patres titulo *Deorum Viscerum* compellati sunt; si quidem filii filiarque ab ætatis suæ principio neminem gradu altiore constitutum credunt, quàm Patres suos, à quibus vitam acceperunt. Et ideo magna illa auctoritas, quam Patres in Filiorum suorum animos habent, facit, ut singula verba ab eorum ore profecta profundissimè eorundem corda subeant, ac intima penetrent. Præterea ipsa instructionis hujus continuatio magnum robur habet; id quod in simili videmus: flores enim plantæ longè majorem ex rore matutino quotidie delapso utilitatem capiunt, quàm ex unâ singulorum mensium pluvîa. Accedit, quòd Parentes omnia sua verba longè efficacissima reddere possunt. *R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. 1.*

sint operum suorum exemplis; dum sub oculis familiæ, haud aliter ac horologium quoddam, versantur, quod ea, quæ sono denunciat, indice demonstrat. Denique non linguam solum, sed & manum habent; illa docere, hæc etiam castigare possunt. *Educate filios Eph. 6. vestros in disciplina, & correctione Domini, ait S. Paulus.*

VII. Sæpius tamen longè gravius peccatur ex parte illorum Parentum, qui sicut bona docere non possunt, & *educare in disciplina filios suos*, ita etiam mala non sciunt reprehendere, & *educare illos in correptione*. Imò ex amore quodam, qui amor non est, sed odium, multa illis indulgent absq; respecta ad damna illa, quæ & filiis, & ipsismet inde emergunt. *Qui diligit filium suum, assidue illi flagella.* Amas-30. 1. ne verè filium tuum, quem genuisti? ait Dominus, fac, ut seculam sentiat; secus enim si ei corrideas, miserum te! veniet dies, quo planges. *Lata filium, In c. 16. & paventem te faciet: Lude cum eo, & Ezech. contristabit te.* Præcis temporibus, ut S. Hieron. refert, vix dum in lucem prodierant infantes, cum illico sale aspergebantur, eo Medicorum consilio, ut illorum membra firma magis ac dura efficerentur. Nostri verò ætate Patres filios suos Saccharo potius inducerent. Quid mirum deinde, si, cum adoleverint, omnium domesticarum amaritudinum fons & origo sunt? *Tunde latera ejus, dum infans est* (verba sunt Sancti Spiritus sanè pulcherrima) ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor anima. Dum parvulus est, castiga filium tuum; cum adultior

B b fue-

fuerit, volet esse Dominus, nec verbis tuis fidem adhibebit, rarus, se omnia melius intelligere, & pro pane, quo eum nutriti, non nisi fel reddet & amariudinem, *erit tibi dolor anima.* Avertat Deus, ne ventos illos experiamini, qui concitantur mane ad Solis ortum; diu enim tumultuari solent. Si pueri vestri assuescant ab infantia, imperia vestra detrectare, iussis vestris obmurmurare, extorquere quod volunt, tempestatem vobis praesagiant, quae domum vestram heu nimium diu graviterque concutiet ac quassabit. Nemo mihi dicat, filios suos indolis esse admodum pravae, omnemque eorum castigationem in irritum cadere. Pergite vos, illos etiam verberibus coercere, & videbitis, an non fructum severitatis vestrae sitis relaturi. *Stultitia colligata in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam.* Ita discretè Spiritus Sanctus pollicitus est. Demus, filium tuum non bonae esse indolis, correctio tua naturam etiam perversam corrigit. Etiam mel naturae candidum non est; albescit tamen, cum percussus saepius & agitur.

VIII. Verum non parvus Parentum numerus loco manuum, quibus uti in castigandis liberis deberet, quid agit? Linguam exerunt, & ad res etiam levissimas, gravissimas in liberos execrationes conjiciunt, nec mentem advertunt ad ingentia illa damna, quae in eos, quos execrantur, redundant:

Ecol. 3. Maledictio matris eradicat fundamenta domus. Refert Surius, feminam, quae unius noctis spatio omnino tricis agro siliolo lac praebuerat, deni-

que in furorem versam potum de melle cum dicto: accipe, & Diabolum habebat. Eodem temporis momento malignus spiritus infantem invasit, nec eum dimisit, donec ad tumulum S. Zenobii Archiepiscopi Florentini abductus excedere denique debuerit. Et quem, quaelo, fructum inde sperant etiam si boni quid maledicta vestra consequerentur, timoremque aliquem injicerent, longè tamen majus scelus, dum minus eos dedocetis, hisce execrationibus vestris docetis. Praeterea, quod in incussis solis verbis tunc paulò post in proterviam degenerent, tempestates istae domesticae non nisi cassum tonitru desinant.

IX. Nostisne, quandonam nimia haec, quae erga adolescentulos perperam uivini, indulgentia cum fructu & commendatione adhiberi possunt cum filii vestri jam juventutis annos attigerint. Id quod Deus per os S. Patris vobis insinuat: *Pater: nolite provocare ad iracundiam filios vestros:* in his enim plus plerumque efficit mista rigori lenitas, quam indiscreta austeritas, quae irritat magis, & exacerbat. Si hanc vobis quaestionem proponerem: quantum aqua melius citiusque maculas abstergat & eluat, marina salis, an fontana dulcis? illico responderetis: marina salis, tanquam magis acris. Neque tamen rem tangeretis, cum oppositum prorsus contingat: & ratio est, quia ad hoc, ut maculae eluantur, necessarium est, ut aqua pannum ac linteamina penetret ac pervadat: quia verò aqua marina crassa nimium, fontana verò tenuior est, sit, ut illa

Bacon. histor. Vent.

Prov. 22. 15.

Ecol. 3.

11.

illa minus, hæc magis lavet ac emundet. Idem in correptione contingit, quæ hominibus jam rationis & discursus capacibus, quales filios vestros adulescentes suppono, adhibetur. Etenim si illa verborum quadam dulcedine condatur, & austeritas temperetur, longè aliud se in corda insinuat, & maculas, quas ibi reperit, abstergit. At verò si dura nimiam, & oppido eruda est, nec penetrat omnino, nec bene emundat.

Thom. X. Et ideo hæc duo extrema vitari necesse est, quæ S. Thomas in ebriorum ita ac furore considerat. At ille, eos, qui omnino & penitus ebrii sunt, non irasci, eò, quod usu rationis careant, quæ injuriam modò illatam ipsis manifestet. Illi verò, qui ebrii sunt, sed non ita, ut rationem obruerint totam, irascuntur, eòque ardentius, quia tantùm adhuc rationis ac luminis habent, ut injuriam agnoscant, non autem tantum, quantum sufficeret ad hoc, ut se, & iram suam in officio continerent. Ita planè in nostro casu se res habet. Nonnulli Patres usque eo amore in liberos suos occæcati, & ut ita dicam, inebriati sunt, ut cen stolidi & excordes omnem iis licentiam permittant absque eò, quòd unquam contrahant. Alii contra eodem amore, velut semiebrii, malum, quod eorum liberi moluntur, non ignorant, at cognitione tam confusa, ut impossibile illis accidat, intra justæ correctionis limites permanere: quo fit, ut increpando rationis limites turpiter transiliant, aliàs in Blasphemias protumpan: ut non immeritò de iis il-

lud dici possit, quòd in Principe demoniorum ciciant demonum, & dum unum diabolum domo exturbant, pejorem longè accersant.

II.

XI. Hactenus animum meum vobis aperui, quo in illos feror, qui Filios suos bona non docent, mala non corrigunt. Sed cogitate, nihil me adhuc dixisse, ad eò multum restat, quòd contra alios affirmam, qui quasi destinato consilio liberos suos prava docent, & quod rectum est, vilipendunt. Quapropter si dicendi fervore abriperet in verba magis acerba, quàm hactenus ut utpavi, rogo, (æquum enim est) ut mihi compatiamini, ac dicentem benigno animo suscipiat. Quinam autem sunt hi Patres perverissimi? Illi ante omnia, qui malo præcunt exemplo. Exemplum tantò efficacius persuadet, quàm verba, quòd facilius est oculis, quàm auribus credere. Si non etiam velimus dicere, verba imaginem quandam ac operis adumbrationem esse, exemplum autem ipsum opus, ac rem ipsam. Unde quòd efficacius rem aggreditur, qui rem ipse, non per alium facit, tantò etiam efficacius aliquid persuadet, qui facit, quàm qui dicit. Ex quo facile videtis, quàm reverè omne malum exemplum, à quocunque veniat, sit perniciosum ac exitiabile. Quòd igitur magis, si eo Parentes præceant? præterquam enim, quòd cuncta opera universim viam quandam habeant permovendi ad imitationem, daabus insuper ex causis opera Parentum potenter alliciunt ac trahunt. Prima re-

B b 2 act

net se ex parte Parentum; hi enim ob magnam illam, quam à Deo in filios, ut causa in effectus, habent auctoritatem, in summâ apud suos sunt veneratione. Audiunt quidem liberi Principum, Prælatorum, Regum & Imperatorum nomina; quia tamen hujusmodi personæ Principes eorum oculis non obversantur; non eam in iis venerationem excitant, quantam Superioritas Patris, quàm suis identidem oculis contemplantur. Unde quavis Parentum actio filijs lex quadam est, quæ absque ulteriori examine ut bona recipitur. Altera causa ex parte ipsorum Filiorum habetur; qui, cum parvuli sunt, ob imperfectiorem iudicii ac rationis omnia imitantur, & velut artis pictoriæ tirores non nisi ætÿpa formare & exprimere nōrunt. Quapropter verbis explicari non potest, quantum robor habeat mala bonæ Parentum vita, ut filios suos in sui trahant imitationem, ita ut longè sit facilius, eos in ratione vivendi similes efficere, quàm in vultûs lineamentis. Ait Aldrovandus, eos, qui studiosius ac curiosius Apum formam figuramque explorarunt, caput Bovis, ex quo prognatae sunt, in iis deprehendisse. Ego autem mihi persuadeo, si quis intimas animi latebras Juvenis alicujus, aut Puellæ curiosissimè introspiceret, veram in iis Patris Matrisque à quibus educati sunt, effigiem deprehensurum ac spectaturum. *In filiis suis agnoscitur vir.*

De insect. I. pag. 60.

Ecclesi. 11. 30.

XII. Quam ob rem attento vitam vestram oculo examine, non solum quâ ratione vestræ salutis ea sit conveniens, sed & eorum, vos genuistis,

promovendæ; nam, cum vosmetipsos perditis, mementore, non solos vos interire. *Sicut unus de Principibus cadit: scilicet non soli.* Non solet unquam evenire, ut cum exercitus impugni confligit, soli Imperatores Ducisque cauant; sed, cum audierint supremos Ductores ceciisse, sine hesitatione dicite, gregarios ad interfectionem deletos fuisse. *Sicut unus de Principibus cadetis.* Risum non tempero; cum video vos nescio quàm solos, quin & minitabundos, ut filios vestros circa vesperum, antè quàm coenabitur, ad preces nocturnas conpellatis. Ipsi vos in genua demittunt, & preces fundite. Tum videbitis, liberi vestri non idem sint facturi. *Etiam de rationem tenere, dum Deum cari filios vestros docetis, quam observatis, dum docetis gressum moliri: hic non sola verba profertis, sed manibus apprehenditis; & cum ipsi gradimini passum passum accommodant. Observatum est, ait S. Ambrosius, Lusciniam non amœnius unquam cantillare, quàm cum pullos suos educat; tunc scilicet omnium maxime anxia ac sollicita, ut eos quàm optime instruat. Et verò illa, quæ extra domum nostram in caveis educantur, nunquam eâ perfectione canunt, quæ alia, quæ patrio in nemore sunt prognata, hac unâ de causâ, quod præcipientis ex mpla careant. Quæ res incitamento vobis sit ad vitam devotam & verè Christianam omni loco instituantur; tum autem præcipuè, si Patres etiam Matresve familiæ; in hoc enim statu duplicata vobis oblatio accessit be-*

*Marcan
tr. 8.
prop. 3.
Caudeli*

ne vivendi, & multò magis malis declinandi; cum mala exempla longè faciliùs imitationem persuadeant, quàm bona; & vita vestra perquam similis sit Malleo Statuarii, qui ad statuam efformandam, simul & destruendam deservit; multò tamen magis ad hoc, quàm illud idoneus habetur. Præterquam quòd omnia peccata vestra plerumque etiam filiis vestris maximo sint nocumento, uti tradunt gravissimi Theologi, innixi verbis illis Domini

Tr. om. ni: Ego sum Dominus, visitans iniquitatem Patrum in filiis. Et hinc, ut ut *Luc. 10. 13.* peccata lecteta sint, non omnem ex hoc capite timorem ponite. Quando igitur magis, si ea publica sunt, & in auctoritatem oculis? hæc enim intrinsecè malitiae ac gravitati contagionem habent adjunctam.

XIII. Positis his veritatibus quis se contineat, dum considerat exiguam illam curam, quæ tot & tanti vivunt absque ullo remorsu, primi iniquitatum omnium, quæ in familiâ committuntur, Magistri? An non verùm dico? quis puerum illum docuit, Dei nomen indignis adeò modis in irâ tractare, priùs etiam quàm illud agnoscat? an non mater, quæ ad singula pene verba eodem abutitur? quis docuit Corpus & Sanguinem Domini blasphemando compellere? an non Pater? qui, ut timorem filiis incuteret, & obedientiam extorqueret, hisce sacrosanctis vocibus continuo iram suam exoneravit? & in qua Scholâ ille & ille puerulus innumeris per diem vicibus Diabolum evocare didicit? an non in domo paternâ, in qua Paren-

tes manè & vesperi hanc iis lectionem prælegunt? In Leodiensi Diocesi, puerulus quidam ab ædibus paternis abertârât: rogatus, dum ejularet, à circumstantibus quo nomine Pater compellaretur, ut ad eum reduci posset? respondit: Pater meus Diabolus est. Et quæ tua Mater? subjunxere qui audiebant attoniti: quibus ille: mea Mater Diabolus est. Et quæ domus tua? Diabolo, ajebat, ignarus quid diceret, domus est. Nimirum cum Maritus domû reverfus objurgetur conjugem, his uti verbis consueverat. Tu verus Diabolus es. Uxor verò objurgans filium, creberrimè dicere solita erat: Tu revera filius Diaboli es: & ambo quandoque in rabiem acti dicebant: O qualis est domus ista! revera non alia quàm Diaboli. Ecce quantum referat, Patres Matresque attendere, quid domi suæ loquantur.

XIV. Maximè autem certas quasdam & obscenas loquendi formulas cavete. Etenim, si vos parum commovent, & idcirco exiguam illarum rationem habetis, mementore filiorum vestrorum, in quibus malorum non levium semen esse possunt. Cervæ, cum serpentes devorant, nullum inde nocumentum capiunt; abstinent tamen ab iis, cum lactant, ne catulis adhuc teneris noceant. Stulta igitur est omnis excusatio Parentum illorum, qui sibi licere autumant, hujusmodi, inter prandendum & cœnandum, verba proloqui in coronâ filiorum suorum, non aliter, quàm si soli in cubili & thalamo versarentur; nec cogitant, quòd id quod adultis, & raticnem, quâ in Mun-

do vivitur, jam expertis, cibus est, venenam sit adolescentibus Mundum adhuc ignorantibus. Ait S. Thomas, in præliis contra Castitatem, primam, quæ tubâ signum pugnae det, esse Curiositatem: hæc enim cum pueri valde stimulentur, ubique rerum causas nosse percipiunt. Et ejusmodi Curiositas subinde eos impellit ad primum peccandum, dum volunt in experta gustare.

XV. Quod si Patribus ac Matribus incumplit ad eam sollicitudinem verbis cavere, vobis dijudicandum relinquo, quanta opus sit sollicitudine, ut ne factis scandalum præbeat. O si hic tacendo percipi possem! at, quia id fieri non potest, cogor loqui. Ingens illorum conjugatorum in cogitantia & temeritas est, qui filios suos eodem lectum noctu lecto sinunt decumbere; absque eo, quod considerent gravissimum damnum, quod inde provenire

Plin. l. 7. potest, imò & te ipsâ provenit. An nunquam audivistis, nonnullos infantes cum dentibus nasci; Volo dicere: non cum annis hanc malitiam, aliqui discunt: sed in materno secum ex utero effertant. Erraverunt ab utero.

S. Hier. in ep. ad Vital. & apud Cal. l. 14. c. 8. Non est periculum: innocentes sunt. Quin imò periculum tantum est, ut Sacris Canonibus res prohibenda sit vasa. Quod eorum innocentiam attinet, ipsa eorum innocentia magis capaces fa-

cit ad malitiam hanc plenius apprehendendam. Oleum, quo purius est, etiam est habilius ad odorem aut fetorem concipiendum eorum rebus, quibuscumque permisceatur. Et hinc illorum innocentia, si tamen aliqua est, magis me terret: *Ladetur quasi Præna in primo flore botrus ejus.* O cum adolescentuli vix infantiam egrediuntur, puerilis Innocentia, primum florum deperdunt! Et unde quæso algera hæc pruina, quæ vineæ hujus teneri- ma gemina tam subito ac crassa morte prosterit? non aliunde certe, quam ab infausito Parentum cælo, qui dum passionibus suis frenâ laxant, ipsi quandoque bestiis minus verecundantur. Percipite historiam non sine horrore audiendam. Macateus Sacerdos Idololatra, omnis Fidei tam Divinam quam humanæ expert, ut magnam aurum summam apud se depositam faceret suam, virum somno sopitum jugulavit, & jugulatum terrâ obruit. Hæc dum faceret, parum pensi habuit duorum puerorum præsentiam, eorumque paucorum annorum essent. At matris opinione suâ fallus est. Hi enim duo tenelli fratres exiguo post tempore soli ita inter se colloqui ceperunt: *Euge, faciamus tantisper, sicut fecit Pater noster.* Sic ubi inter eos conventum est, unox natu minor in terram se extendit, & somnum simulat; alter isque natu major, eundem Patris eorum accipit, & in fratris jugulum a se adigens, dum fictum ille somnum verisimiliâ morte mutaret. Attonitus eventum alter in plangens effunditur, & horrendum clamat; cum mater ejus-
tibus

tibus excita accurrit, vidensque atrox
spectaculum, alterum quidem neci
datum, fratrem alterum cultro etiam
num sanguinem stillante armatum, ita
subito dolore & rabie extra se rapitur,
ut eodem cultro alterum funus adde-
ret occisorem. Nec hic finem habuit
Tragœdia. Nam nuncio hoc tristissi-
mo ad Macareum delato, etiam ipse
furentis conscientia stimulis agitur
in domum irumpit, & uxorem hastâ
per pectus ad cœtâ humi mortuam ster-
nit. Sed & ipse Magistratus jussu com-
prehensus non solum eadem hanc jam
manifestam confessus est, sed & illam,
hactenus omnibus ignotam, pro quo
utroque tam atroci facinore dignam
mercedem recepit, carnificis manu in-
famem mortem perpeffus. Quid ad
hæc omnes vos, qui filioli vestris, &
eorum innocentia tantum tribuitis?
quid dicitis ad hæc? Si non obstante
hac innocentia ad tantam tanque ab-
horrentem ab humana natura crude-
litate malis exemplis permoveri pos-
sunt, an putatis, eos facilius ad actus
longè magis hominum genio conve-
nientes, magisque faciles ac delecta-
biles inductum iri? Si Pater suâ uxore
non contentus etiam alienæ insidietur,
an filio difficile erit, partis exemplum
sequi? De Pagano quodam S. Augu-
stinus refert, quod, cum Jovem suum,
quem pictor turpia peragentem de-
pinxerat, conspexisset, elatâ voce
exclamârit: *Ego homuncio hoc non fa-
ciam?* homo scilicet de plebe, cum
talia Dii faciant. Ita omnino filii: si
meus Pater, jam magno natu, & tho-
ri sociam habens, contentus non est

aquam suo è puteo haurire, sed insu-
per aquas turbas totius viciniae, quid
ego erubescam, liber etiamnum, &
in ipso flore juventutis? Itè reprehendit,
& jejuniis saturo ventre prædifi-
cate!

XVI. Quid si autem Patres Matres-
que ultra illud scandalum indirectum,
quod filiis suis dant, dum mala in eo-
rundem præsentia faciunt, etiam di-
rectum ad jungerent, ac disertis ver-
bis modisque manifestis ad malum eos
instigarent? Fit tamen & hoc, usque
adeo, ut ipsi Cæcodamones Parentes
non paucos loco primorum ac præci-
puorum Procuratorum habeant, qui-
bus in causâ æternæ perditionis libero-
rum quantumvis adhuc innocen-
tium, utantur. Scio, quod ab utero
matis pleræque filia vanitatum stu-
dium secum ferant; at quis illas magis
confirmat, stimulatque, quam Matres,
quæ in eas magnis clamoribus inve-
huntur, si quando exquisiti ornatus
viderint incurias? Si Matres hujusmo-
di vanitates & superbia studia matu-
rè reprehenderent, & libidinem istam,
quâ videri volunt, in tempore reprim-
erent non dubito, quin hujusce ge-
neris propensionis funditus è filiarum
animis extirparentur. Sed pro eo, quod
illis hæc sua studia exprobrent, illa ceu
necessaria iis proponunt, ultra omnes
etiam, ut mos nunc fert, modestiæ li-
mites, eo sine, ut inveniant, quibus opta-
to matrimonio jungantur. Et sic non
tantum non primulas has levitates ex-
tirpant, sed maximâ industriâ promo-
vent, damnûmque, quod miserimis
his animulis accrescit, insuper habent.

Fit

Fit igitur, ut, dum muliebri hoc mundo superbiunt, aliud nihil animo volunt, magisque nihil appetant, quam videre & videri; & sic omni salutiferæ inspirationi viam præcludant, atque impedimentum omnium, quæ Deum inter & ipsas esse possunt, ponent maximum, animi elationem &

*Ioan. 5.
44.* *rumorem: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis? ait Christus.*

XVII. Neque hic consistitur; non enim ad occulta tantum pereundi pericula perducuntur, sed in manifesta quoque præcipitia aguntur. Puellam reperias, quæ aut congenitâ suâ vercundiâ, aut fragilitatis suæ ex antea actis concia vitam à Juvenum commercio remotam vult agere: cum Mater, quæ plus quam alius quisquam eam in proposito confirmare deberet, prima est, quæ solitudinem illam disturbat, ac identidem oggerit: oportere erga omnes esse affabilem, non misanthropam, non ita refugiam; fore enim aliàs, ut neminem habeat, qui in choreis eam honoret, neminem, qui favore & blanditiis dignam æstimet, neminem, qui Sponsam velit. Memini me audire, nobilem quempiam tædæ fumo pestifero fuisse infectam. Præferebat illi nefarius quispiam facem inter tenebras, quasi viam monstraturus; re ipsâ interim sequentem propinato sordillatim venenato fumo enecabat. Non credo equidem, id ipsum Matribus propositum esse, cum filias suas pestiferâ hac directione seducunt; re ipsâ tamen idem præstant, cum eodem tempore ad mortem animæ eas deducunt, quo

docent, qua ratione omnis generis venitates consecantur.

XVIII. Deinde quid dicemus, Matrem talem etiam reperire fore, quæ filia sua honorem ac pudorem vœnum exponeret, quod facilius aut vestes, aut dotem compararet? Res isthæc adeo terrificâ est, ut verba mihi non suppetant, quibus eam satis exponam. Dicam solummodo, quod iuxta sententiâ Salvatoris ille meretur lapide molari prægravatus in mare projici, qui animæ, qualiscunque fuerit, scandalum præbet; an non Mater, quæ animam innocentem, & filia quidem suâ, perenni exitio exponit, mereatur, ut non lapis molaris, sed mons integer collo alligetur?

XIX. Sed ad res minus funestæ deamus. Etiam ex Patribus non desunt, qui officio, quod à Lucifero impositum gerunt, bene suagantur, & strenuè filios suos ad interitum promoveant. Nam, cum adhuc teneti suam, assuefunt quandoque filii, ut dum non solum aliis inferant, sed, quæ repererint, etiam domum ferant. Non fructus modò & olera, sed gallinæ quoque, oviculasque bene palat. Quid ad hæc Pater? forsitan cum Tebiâ tene in clepæces manus invehitur? Forsan, ne rem furtivam tangant, prohibet? *Reddite hæc dum Domini sui, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Contraria omnia. Fastum approbat, & non tantum cum familiâ festum diem agit, sed & ingenium furunculi laudat, quod indultum suam hac ratione probâcit. Quod si post domum redeat post contrafactum, aut bene

bene contulim coetanei cuiusdam sui caput, habet encomiasten Patrem: strenuè rem gessisti, ait applaudens genitor & si quis in posterum tibi minas ingerat, fac, ne in conferendis manibus alter primas habeat. Memorat Suetonius, quòd Caligula Romanorum Imperator, cum de Drusilla dubius hæretet, an ex se genita esset, an adulterino partu edita, quadam die viderit, quòd tenella sua Drusilla in ludo cum aliis Aulæ puellis collisâ crudeliter illarum vultus unguibus suis lacerârit. Movit hæc res ita Caligulam, ut illico in ejus amplexus ruerit, dixeritque: nunc, nunc te filiam meam credo. Sic quidam ex Patribus avi nostri, si de uxorum suarum fide ambigerent, credo omnem suspicionem ponerent, cum primum filiorum suorum insolentem petulantiam referri audirent, & corvorum more, illos pro legitimâ sobole haberent, quos post aliquam temporis intercapedinem, sibi colore quàm simillimos, hoc est, nigerrimos viderent. Et hic ille modus est, filios instruendi, hoc educandi officium facere, quo Deo, qui vos filius vestris præposuit, respondetis?

XX. De vobis, qui hac in parte deficiitis, æternus Pater conqueritur; utpote, qui vos fecunditatis suæ participes reddidit, & maximum illum Patris titulum communicavit, quò tamen non nisi ad avaritiam ruinam abutimini. De vobis Filius quoque æternus conqueritur, qui, cum vos in cooptatores suos ad filiorum vestrorum salutem elegerit, Tentatores, non

S. P. Segneri Christ. Instr. Tom. 1.

Serpatores experitur. De vobis suas etiã querelas Sanctus Spiritus ingeminat; quia, cum vos ipse elegerit ad præparandam ejus inspirationibus in filiorum vestrorum animis viam, vos illam obstruitis. De vobis Sanctissima Dei Mater & Virgo conqueritur, quæ dum de vobis spem concepit, fore, ut in Cœli vacuas sedes novas colonias duceretis, videre cogitur, quomodo vestrâ desidâ pauciores indices inquilinos numeret. Angeli quoque Custodes de vobis conqueruntur; quorum custodiam & assistentiam, quâ liberos vestros protegunt, frustra mini. Sancti etiã, quibus Socios subtrahitis æternæ felicitatis, vobis indignantur. Civitates, Respublicæ, & omnes Populi in vos concitantur, utpote qui à vestrâ educatione majora bona, quàm ab ipsis aded Legibus expectabant, nunc autem spe sua excidunt. Que omnia, si vos nec dum movent, ipsi filii vestri, quos scandalizatis, vos excrantur. De Patre impio queruntur filii, quoniam *Eccli. 4. propter illum sunt in opprobrium.* Et 10. quodnam est hoc opprobrium? certè temporale non est, quod scitò transcat, sed sempiternum quo miseri in Inferno æternùm obruentur, ubi damnationis sententia in eos fuerit lata. *Evigilabunt in opprobrium, ut Dan. 12. videant semper.* Hac ignominia ac dedecore circumdati, hoc opprobrio de honestari, æternùm lamentabuntur Filii malè educati & contra Patres Matresque, malè educationis causas principes, questus ingeminabunt. Execrabuntur sinum illum, qui eos concepit,

Cc

pit,

pit; ubera illa, quae eos lactant, diem illum, quo in lucem effusi sunt. *De Patre impio queruntur filii.* Utinam, exclamabant miseri, haec nobis fors obigit, ut Patris loco Pardam, & loco Matris Leanam nacti essemus: saltem ab his non didicissemus Deum blasphemare, & vitam vivere homine Christiano indignam. Quod si nos vita corporis exuissent, illam nobis mortem intulissent, quam tota aeternitate quaesituri, nunquam sumus inventuri; non illam, quam aeternum fugiemus, quin ab illa unquam vel passum unum recedamus. Totus amor, quo nos prolecuti sunt Parentes nostri, aliud nihil spectavit, quam ut in terris commodius viveremus: at quam utilitatem ex omnibus vitae hujus commodis habemus, si caelo excidimus? *De Patre impio queruntur filii;* nec sine ratione; cum hujusmodi Patres carnificum ipsi Damonibus crudeliorum munus

exequantur. Certi estote, quod, cum Filiis vestris in inferno carceri compingimini, non alium, quam Filios vestros Cacoemonem magistrum culentum habebitis, nec alium Filii vestri, quam vos. Quae cum ita sit muneris vestri ratio aliam curam, exactioremque diligentiam requirunt, quam Filiis vestris educandis impendatis. Primo illos die Domino Deo offerte, & postmodum eos ceu religiosius custodite, ac ante alia omnia Christianorum Mysteriorum, & recte vendi cognitione imbuite. Donec ipsi, & vos salutem consecuti (per obedientiam vestris imperiis praestitam, vos per bona exempla ac monita salutaria iis exhibita) per omnia aeternitatis secula mutuis benedictionibus gaudeatis, ac in caelesti gloria domum ac familiam stabilietis sine teritis periculo aeternum perennaturam.

